

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

*Salutem in Christo, tradito propter peccata nostra & re-  
fuscitato propter iustitiam nostram, Reverende Domine Superintendens,  
amicus colende.*

**G**ratissimæ fuerunt mihi proximæ tuæ litteræ, ex quibus multa, quæ de communis ~~rebus~~ inter nos negotio scire dudum desideraveraam, cognovi. Quod Sacramentarii omnia insidiosarum inquinacionum arma ad impediendum aut certe turbandum salutare hoc negotium expedient, mirum mihi non est. Sæpe enim soleo dicere: si Satan jam, cum jugulum ipsius petitur, non omnes suas machinationes contra negotium hoc educeret, so wärē er kein redlicher Teuffel. De vestri verò Ministerii sinceritate ac promptitudine ad juvandum salutare hoc negotium, sicut & de aliarum Suevicarum Ecclesiarum consensione, ex animo gaudeo. Quia verò Palatinus Elector Landgravium sequitur & subscriptionis dissentit judicium, si quædam desiderant in Formula Concordiæ, quæ cupiunt mutari, sicut & pauci quidam alii Principes & ordines, nuper decretum est, ut simul in unum locum ad conventum seu colloquium convocentur Theologi quidam, ablegandi tum ab illis statibus, qui formulam sua subscriptione jam comprobaverunt, tum ab illis etiam, qui adhuc tergiversantur ac prætendent nescio quæ, ut utrinque fraterne de toto negocio colloquuntur, audiant eos, qui adhuc desiderare aliquid videntur; darauff freundliche gründliche Veriche thun; ut hoc modo per gratiam DEI, si fieri posset, omnes ordines se adjungant; sin minus, ut ordinibus probantibus formulam indicetur, quid porro faciendum sit. Ad illum Conventum R. T. D. etiam vocabitur. Coram igitur, DEO bene juvante, de multis rebus colloquemur. Has literas tradidi Viro docto ac pio, Magistro Pruteno, qui duos adolescentes ex præcipua nobilitate Danica ad vestram Academiam dicit. Quibus ut pro humanitate tua omnia benevolentiae officia mea etiam causa præstes, amanter & diligenter oro. Datæ feriæ 2. paschatis, ac propter festi occupationes brevitati veniam dabis. Salutem adscribo Reverendis Ministerii vestri fratribus, vale in Christo 1576.

T. T.

Martinus Kemnitius.

## CCLIX.

**S** Casparus Estius à te mihi commendatus, talis prorsus appetet, quem mihi de-  
pinxisti. Recepit eum in meum convictum, & vel tua & avi materni, perpetua  
memoria.

memoria celebrandi, Hedionis preceptoris mei causa, delector ejus ingenio, studio & modestia, quare commodatus illi sum, quacunq; occasione potero. M. Heckelium tibi atque Collegis probatum iri nihil dubitavi, simul ac cognosceretur proprius & audiretur; eoq; magis oro Dominum, ut sit salutare Ecclesiae nostrae organum. De Turca quid futurum sit, Ratisponensia comitia ostendent; quæ nunc celebrant audimus; ad ea ut Evangelicæ civitatis in Helvetiis mitterentur, ursit serio Palatinus, nimis, ut ipsius & similium causæ patrocinarentur suo interventu. Unde & ad nostrum Magistratum relata res est, & conventus civitatum habitus, in quo nostri, qui pastorum suæ civitatis quatuor sententiam requisierant, negarunt, se missiuros esse, nec videri consultum, & nec Bernates, ut audio, à nostris disenserent hac in parte, ut arbitrer, neminem missum iri, ut cunque non desinat instare Elector. Nostris fortè non abs te metuunt, ne in præjudicium trahatur solidi in dogmate controverso consensus, si quacunq; ratione sese admisceant. In Sturmio vestro vehementer commendandum est pacis & confessionis tuenda, remque literariam provchendi studium, ut sub extremam hanc vitæ suæ metam relinquat operis sui, præclari, fructus. Ex Gallia nos certi pro rorsus nihil habemus, certum verò est, vel pacem' conclusum, vel pugna decertatum iri, fiat in ea re, quod bonum est coram oculis DEI. Cæterum quo successu laboret Clarissimus vir, D. D. Jacobus Andreae, scire vehementer cupio, spero autem, non inanem fore ejus & reliquorum, qui feruntur, adjuncti, operam, sanctissimumq; studium. De quo si quid habes, rogo signifiques, & bene valeas cum tuis omnibus. Basil. 10. Maij, Anno 76.

Tuus ut semper ex animo frater

Sulcerus.

CCIX.

*S. Venerande vir, Domine ac preceptor colende.*

Quod haec tenus semper mihi faciendum censui, ut in rebus difficilibus tuum consilium atq; opem requirerem ac implorarem, neq; id unquam me sine fructu facere memini, idem nunc facio, non meo solum nomine, sed etiam fratrum. Accidit autem ante dies non ita multos, ut scholæ nostræ Rector avocatus sit ad conditionem aliam, & quidem Ecclesiasticam, atq; ita intra mensem unum atq; alterum sit nobis locum illum primarium relicturus vacuum, & idoneo successore explendum. Jam non obvii sunt ubique tales, qui in ejusmodi locum reponantur. Oportet enim esse virum puritatis doctrinæ amantem & intelligentem, & se suamq; scholam